

*Postulasti tibi sapientiam.*

Léctio libri primi Regum

3, 5. 7-12

In diébus illis:

<sup>5</sup> **A**ppáruit Dóminus Salomóni per sómnum nocte  
dicens:  
«Póstula quod vis, ut dem tibi».

[6]

<sup>7</sup> Et ait Sálomon:  
«Dómine Deus meus,  
tu regnáre fecísti servum tuum pro David patre meo.  
Ego autem sum puer parvus  
et ignórans egréssum et intróitum meum;  
<sup>8</sup> et servus tuus in médio est pópuli, quem elegísti,  
pópuli infiníti,  
qui numerári et supputári non potest præ multitudíne.  
<sup>9</sup> Da ergo servo tuo cor dócile,  
ut iudicáre possit pópulum tuum  
et discernere inter bonum et malum.  
Quis enim potest iudicáre  
pópulum tuum hunc multum?».

<sup>10</sup> Plácuit ergo sermo coram Dómino  
quod Sálomon rem huiuscémodi postuláset,

<sup>11</sup> et dixit Deus Salomóni:  
«Quia postulásti verbum hoc  
et non petísti tibi dies multos  
nec divítias aut ánimam inimicórum tuórum,  
sed postulásti tibi sapiéntiam  
ad discernéndum iudícium,

<sup>12</sup> ecce feci tibi secúndum sermónes tuos  
et dedi tibi cor sápiens et intéllegens,  
in tantum ut nullus ante te símilis tui fúerit  
nec post te surrectúrus sit». — Verbum Dómini.